

F. K. 58. (39)

Friedrich Wilhelm Fahr

Z c
145

RECTOR
ACADEMIAE VITEMBERGENSIS
GEORGIVS
R V DOLPHVS
BOEHMER
PHILOSOPHIAE ET MEDIC. DOCTOR
ANATOMIAE ET BOTANICES PROF.
PVBL. ORDINARIVS
CIVIBVS ACADEMICIS
S. D. P.



LIBRARY
ACADEMIA HISTORICO-MATHEMATICA
SOCIETATIS
AVILES
SOCIETATIS
ACADEMIA HISTORICO-MATHEMATICA
ACADEMIA AVILES
SOCIETATIS
ACADEMIA AVILES

Diuis Paullus, cuius Epistolae et diuinæ veritatis magna efficacia lacertos habent, et multæ eruditioñis luminibus distinctæ sunt, in ea, quam ad Timotheum scripsit priorem, sic suis praeceptis format sacrorum antistitem; vt facile appareat pia illa sollicitudo, qua rebus Ephesini coetus prospicere voluit, ne exemplo eius, quem discedens quasi vicarium reliquisset, detrimentum res Christiana acciperet. Magnam vero, vt omnia eius, diuino adflatu inspiratae sublimitatis vim ostendit, quod in fine, vbi eloquentissimus quisque, quae in animis haereant, quaerere solet, totam adhortationem sic claudit, vt Timotheum custodire, quod acceperit, depositum, velit, virantem profanas inanum disputationum tricas, et rasa illa antitheta, quibus fallax sapientia suos aculeos vibrat atque contorquet. Elegantia praesertim translationis, qua vtitur, depositi, seu, vt Graece dixit παραταθηκης, tanta est, vt vix iusto volumine satis digne explicari possit, si ostendum e vetustatis monumentis foret, quanti illam seruandi depositi religionem aestimauerat non Graeci solum et Romani, sed pleraque etiam barbaræ nationes.

Decessit a. d. IV. Cal. Ian. ex hac vita, et, a deo immortali repente appellatus, quantum suae fidei creditum fuit, neque habitum indiligerenter, neque, omisiore cura interceptis fructibus, inane, restituit, FRIDERICVS GVILIELMVS IAH-RIVS, SS. THEOL. D. ET PROF. P. ORD. ET ALVMNORVM REG. MVNIF. EPHORVS: vt D. Paullo hunc praebuisse aures, agnoscere possit quilibet, qui de eius vita vel potissima cognoscenda putauerit. Natus A. R. S. cIcI CCVII. in Lusatia Gosmariae his parentibus, e quibus qui nascatur, iam habeat, quod diuinæ prouidentiae acceptum ferat. Pater enim Io. Georgius, LL. AA. M. Sacerdos primum Gosmariae, ephoriae sacrorum Sonnewaldae postea praefuit ea laude, quae filio ad virtutem incitamento esse potuerit: matris autem Annae Mariae, gente Lehmanniae, circa totam viciniam praedicata ornamenta

):(2

sunt.

sunt. Ab hoc tener adhuc iis, quibus puerilis impertiri aetas solet, imbutus, mox domesticis traditus praceptoribus sic proficerat, vt iam non obscuris indicis ea indoles eluceret, qua praeditorum fides deo obstringitur, ne incuria in cultuque corruptant, quod ad augendum ex naturae benignitate foenus uberrimum nacti sunt. Missus inde publicas in scholas, Lucciae a Godofredo Hechtio et successore eius Theodoro Crugero, postea vero Budissae, quo suae obsecutus discendi cupiditati concesserat, a Georgio Ehrenfriedo Bernhauero, Thymioque insuper, et Calmanno, fidissimis magistris, institutus paullatim ex his, quos faciebat, studiorum progressibus agnoscere illud cooperat, quod sibi a proprio deo concessum esset. Quare academiam hanc nostram A. P. C. N. c. 1510 CC XXVIII. a. d. XVI. Cal. Febr. adit, usque Hollmanno, philosopho, Bergero, magno illo oratore, Weidlero, mathematico, Loeschero, physico, Wockenio, linguarum orientis interprete, ad compendiarium perfectae eruditionis viam ducibus, Wernsdorfio demum et Schroeero, consummatis theologis, operam dat, atque coelestem doctrinam audius imbibit. Quod bene praeparatum humana sapientia pectus attulerat, nihil eorum, in quibus alii haerent, aut nescio quas sibi tenebras obiici conqueruntur, quod ingredi cogantur ea, in quibus, sublato rationis lumine, oberrandum potius, quam certo et explorato tramite incedendum sit, obstat suae voluntati sensit, qua vni deo, veritatis auctori, praeipienti credere et parere constituerat. Eam certe rationem studiorum inierat, vt animum, deo deditum et salutis suae studiosum, facile inuenire optatum exitum nossit, vbi alii suis vitiis obsepta omnia offendunt. Adeo iam tum esse hoc ipsum dei, quod peruidendi veri facultate praediti sumus, meminerat, vt non ad alia vti mentis acumine, quam ad rerum diuinorum explicatam cognitionem, mallet. Nec diligentia deerat, vt perficeret, quibus ab ipsa natura instructus, aut, obiecta tanta opportunitate, excultus erat. Multas studiorum exercitationes sollemnes instituerat, saepius que publicauerat ingenium, vt ab A. P. C. N. c. 1510 CC XXXVI., quo ab ordine philosophorum ad se for adscitus erat, quinque per annos, tantum laudis celeriter et

ab

ab erudienda iuuentute et ab amoenis commentationibus, quas
subinde ediderat, ferret, quantum alii vix longo annorum inter-
vallo carptim colligant. Perspexerat haec academia, qua indole,
doctrina, sanctitate moris et propositi, is esset, ut substituendum
vicarium meritissimo sacrorum ephoro Iesenenſi, Luppio, ex
quo valetudine a munere prohiberi ille cooperat, iudicaret, et
mortuo demum sufficiendum A. P. C. N. cIɔIɔ CC XLII. cen-
seret. Neque regi potentissimo ista sententia displicuit, ut stu-
diorum et doctrinae in senatu sacro redditis rationibus, obtine-
ret locum, cuius dignitatem incredibili virtute ornauit, curas et
negotia diligentia summa explicuit, atque variis necessitatibus
non prouidentia minus ab initio occurrit, quam prudentia in
exitu mederi instituit. Hoc fuit tempus, quo maxime, polcen-
te officii religione, in id incumberet, in quo suam fidem specta-
ri oportere sensisset. Plura sibi ab immortali deo ad eum diem
commendata norat, quorum vnum quodque non seruandum mo-
do tuendumque esset, sed industria etiam excolendum, ne, per-
dendo fructus, culpam admitteret. Ingenium promptum et ve-
lox, quod paeclaris tamdiu artibus aluerat, et rerum etiam di-
uinarum illustri scientia acuerat, totis viribus ad rei Christianae
commoda vertendum intelligebat. Hinc et in studiis dudum in-
choatis perseuerabat, et ipso vsu magistro doctrinam amplifica-
bat, et quae paeceptis didicerat, ad vitam moresque traduce-
bat. Religionis negotium docendo, agendo, scribendo, sic ad-
ministrabat, vt non domi atque inter suos magis conspiceretur,
quam foris admirationi esset. Multa certe in academia quandam
instituta, iam tunc matuiore iudicio perpoluit; complures ex
occasione epistolas publicauit, quibus salutarem doctrinam aut
disciplinae sanctitatem sacerdotibns commendauit; virorum et-
iam eruditorum et religiosorum sic coluit amicitias, vt crebras
easque litteratissimas scriberet litteras. Sed quibus nihil neque
maiis neque augustius a diuina bonitate se habere putabat, sa-
crosanctum salutis nostrae arcanum, et pure atque caste tribuen-
dus Christo liberatori cultus, et coelestis ad eas res institutio,
sic eius animum occupauerant, vt eo omnes cogitationes, omnia
studia, transferret. Non temporis autem parum tam sublimium
rerum meditationi impedit; vt integros saepe dies quaestioni-

bus, quarum difficilior intellectus habetur, ex praescripto diuinorum oraculorum soluendis consumserit, et reperta, quibus veritas Christiana, sanctiore Lutheri in coetu recepta, commodius explanaretur, aut pro concione populo exposuerit, aut libris mandata ad communes vsum euulgauerit. Exstat vero inter alia huius generis monumenta vnum excellens, quod ante tres hos annos publicauit, inscriptum: doctrinae euangelicae eiusque Lutheranae de praestinatione *suspiria*. Aggressus nouis, vt sibi videbatur, armis artibusque nostros doctores erat Iac. Saurinus, magnum in oratoribus sacris nomen. Non retulerat quidem victoriā de vlo, nouitate tamen dicendi differendique subtilitate et argutia multorum erexerat studia, vt huic, labantes et inclinatas dudum partes noua confidentia restituere laboranti, fauere inciperent. Si autem res vlla sacri doctoris pietatem decet, haec est, quam noster hic fecit, cum dei infinitam bonitatem atque clementiam defendit, ne fallace opinione nescio cuius immutabilis necessitatis inducta, qua ab aeterno stet fixum, quibus salus vel sempiterna supplicia sint proposita, ex desperatione Christum homines deserant. Mirum autem dictu est, quam praeclare hic nostrae veritatis vindix rem gesserit. Tela petiū, ynde oportebat, e sacris litteris, longe humanis potentiora. In quibus tamen sibi placere aduersarium senserat philosophiae praesidiis, ne in iis quidem concessit. Ornatu quoque et luminibus orationis ne vinceretur, prouidit. Eruditionis autem vno in volumine tantum referit, vt pudorem exprimere omnibus possit, si qui nostrorum ingeniis detrahere conantur. Nec ius vñquam violauit, qui sic inuadentem nostros exceperit, vt elegantia certe et humanitate superior discesserit. Dicere haud veremur, exarmatum plane esse Saurinum, qui nemini, nisi lahrium non legenti, aliquid dixisse amplius videri queat. Stapferum etiam opera eadem refellit, et quam inique in nostros incurriere ausus sit, ostendit. Itaque collectae iam pridem famae tantum celebritatis ex hoc labore inter exterios etiam accessit, vt illustri quadam laude superstes censeretur, qui sic existimationibus iudiciisque posteriorum vti nosset.

Acci-

Acciderat paullo post, vt professio theologia hic vacaret; ad quam et academiae suffragiis et regio iussu A. P. C. N. cīcīcī CCLIV. vocatus ad nos concessit, et a. d. IV. Cal. Aug. auspicatus munus est, habita oratione de humanitate theologi; quam ipsam non minus, quam invitationis tabulam, in qua ἐλεγχον e ciuitate dei non esse eiiciendum ostenderat, edidit. Conuersus hinc ad noui muneris curas, plures doctrinae sanctioris partes coetibus, quos habere frequentes solebat, tradendas suscepit, et florentissimae iuuentutis academicae institutioni magna sollertia vacavit, cum in medio cursu, tam laudabiliter et ex religione officii instituto, valetudine tentaretur. Vbi paullum recreatus erat, labori sese reddidit, et inter saecularium pacis Augustanae, quae celerabamus, sollemnia disputationi, quam Io. Christianus Schulzius, vir plur. reuer. et sacrorum ephorus Heldorf. de sacrosancta iurisiurandi diuini in conseruando messis ordine fide, vt summos honores in theologia capefferet, habuit, praefes moderatus est. Sed mox de integro in morbum incidit, a quo, indies vehementius ingrauescente, tandem confectus spiritum deo placide reddidit. Scilicet, qui ad tantas res eius fidem elegerat, deus, eaque seruanda et custodienda suo ministro commiserat, in quibus ipsa coelestis religionis sanctitas et venerationis et dignitatis plurimum habet; quasi inter conditio-nes adiectum fuisset, vt pro industria celerius praemia acciperes, hunc ad beatorum aeuum transtulit, vbi in Christi redemptoris sinu, quidquid accepisset, domino aeterno restitueret. Ipse quidem, sorte sua felix, nihil eorum amisit, quae reddidit; sed in consortium diuinae maiestatis admisitus omnia ampliora et augustiora recepit, quam hic possederat.

Quos tamen excessu ex hac vita suo in moerore et tristitia reliquit, illa anxie desiderant atque requirunt, quae in ipso amiserunt. In primis vidua moestissima, femina primaria et spectatissima, mariti fidelissimi erectum amorem, praefidium, et solarium luget. In his enim, quae a deo optimo maximo suae commissa fidei et curae acceperat, matrimonium dignitate conspicuum, concordia felix, virtute ornatum, atque fidissima coniunctio ne iucundum, numerauit, qui ante hos XI. annos Non. Oct. duxerat ELEONORAM IOANNAM HENRIETTAM, filiam IO. CHRISTIANI OELSELII, D. I. V. Consulis Luccauiensis, atque ordinum Lufat. infer. ea in regione senioris; ex qua etiam duas filias suscepit, et paternae comitatis et materni

deco-

Zc. 145. JK.

decoris aemulas, sed nunc ea in aetate patre orbas, qua eius prouidentia maxime indigebant. Harum ut magnus iustissimusque dolor reprimi per naturam non potest; ita diuinae benignitatis cogitatione mitigabitur, si perpendent, ex quo tam diligens sibi creditorum administrator in coelum euocatus omnia Christo bona fide restituit, sese quoque fiduciae immortalis dei tuteiae esse commendatas. Sed academia haec nostra, ut quantum perdiderit, omnino sentit, et iactura angitur; ita remedia tanti vulneris a summo numine seruatoris nostri, qui lectum sibi coetum semper fospitat, precibus exposcit. IAHRII nostri doctrinam, vitaeque et morum exemplar, si non prorsus intercidisse, comperiemur, quamdui supererunt, qui ex eius libris illam repetant, hoc vero, tanquam insculptam in animis imaginem, memoria conseruent; relinquunt tamen plura, quae raro successorum, quamvis egregiorum, virtutibus vniuersa rependantur. Taceamus illa politioris humanitatis studia, illum tot linguarum usum, istam eloquentiae vim, istam philosophiae, quae animi medicina sit, exercitationem; quae per se satis utilitatis habuissent, tametsi non adcommodata fuissent ad sanctissimam rerum diuinorum disciplinam, cuius ille nobilissimas partes, tantis praesidiis instructus, sic constituit, ut tanquam certam ad normam exacta quaeque essent, et omnis humanae sapientiae cum coelesti veritate pugna tolleretur. At istam pietatem eius, grauitatem, religionem, curam sui muneric, diligentiam, et, quo nihil ipsi sanctius, commodorum, Ciues, vestrorum studium, candoreque, et humanitatem, quae sic vnuquam obliuio delebit, ut non saepe desiderium huius lucis, tristis et acerbae, nos admoneat, qua is elatus est? Nos, quantum pro pietate et reuerentia prae-stare studii honori supremo licebit, cohonestandis exequiis tribuemus; retinendae vero eius memoriae aquifissimam hanc legem dicemus, ut vna et consentiente omnium bonorum voce, quasi laudatione quotidiana, IAHRIVM inter exempla saeculi et huius nostrae academie commmemoremus.

P. P. Viteb. a. d. VI. Non. Ian.

cloio CCLVI.



VITEBERGAE
PRELO EPHRAIM GOTTLLOB EICHSELDI
ACADEMIAE A. TYPIS.

(X2626529)

Z c
145

F.K. 58. 634

Friedrich Wilhelm Fahr

RECTOR
ACADEMIAE VITEMBERGENSIS
GEORGIVS
RVDOLPHVS
BOEHMER
PHILOSOPHIAE ET MEDIC. DOCTOR
ANATOMIAE ET BOTANICES PROF.
PVBL. ORDINARIVS

CIVIBVS ACADEMICIS

S. D. P

Inches	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	8
Centimetres	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	8

Farbkarte #13

B.I.G.

